

FVITNE VERGILIVS HEBRAEORVM AVDITOR?
BREVIS IN IV ECLOGAM ENARRATIO

Nullum aliud carmen, nec Latinum nec Graecum, quod sciam, tantum curiositatis et expectationis, tantum vestigationum atque inquisitionum, tantum denique curarum et laborum in acribus philologorum vestigatorumque animis umquam movit. Quo carmine edito, haud pauci auctores, tempore procedente, sunt quod Vergilius cecinerat secuti atque imitati.¹ In quibus, ut videtur, est Q. Horatius ipse numerandus, qui eodem fere tempore XVI Epodum contexuit.² Quod autem argumentum, cum ad praeclarorum poetarum amicitiam ostendendam eorumque fiduciam probandam, tum ad Vergili institutionem vel ad eius fontes quaerendos et vestigandos, hac saltem tempestate minime idoneum videtur ideoque praetermittitur.

1. De Vergili vita atque institutione

Omnes docti ac periti litterarum Latinarum explanatores atque inquisitores,³ cum de Vergilii vita atque institutione agant, haec fere referre dignantur: P. Vergilium Maronem esse Id. Oct. a. LXX a. Chr. n. in pago, qui An-

¹ Quos omnes una cum fontibus illis, quibus sit Vergilius fortasse usus, accurate collegit et retulit Carolus HOSIUS, *P. Vergilii Maronis Bucolica cum auctoribus et imitatoribus in usum scholarum*, Marcus und Weber, Bonn 1915.

² Prior fuerit Epodus an Ecloga, quamvis acerrimi philologi sint aliquo modo implicatum nodum solvere conati, in incerto adhuc habetur. Plerumque uterque poeta communem esse fontem Graecum secutus nostris temporibus putatur. Si quis plura scire cupiat, inspiciat oportet: Bruno SNELL, *Epode von Horaz und Vergils IV Ekloge*, in «Hermes» 1938, pp. 237 ss. hunc Theocritum fuisse ducit. Quo accepto, absurdum videtur Horatium imitatum Theocritum et Vergilium esse Horatium secutum. Quod iudicium rectum habetur, si uterque poeta initium ex eodem fonte Graeco deprompsisse probetur; Antonio LA PENNA, *Orazio e l'ideologia del principato*, Einaudi Editore, Torino 1963, p. 29 ad adn. 2 et 3. Hic de *locis similibus* agitur, quos Vergilius ex Hesiodo depromit et Horatius per Vergilium imitatur; Vincenzo PALADINI, *L'ecloga IV di Virgilio e la datazione dell'epodo XVI di Orazio*, in Vincenzo PALADINI - Ettore CASTORINA, in *Storia della letteratura latina*, vol. II Problemi critici, pp. 146-155; Alberto CAVARZERE, *Virgilio, Orazio e il 'motto iniziale' (IV buc. E XVI ep.)*, apud «Atti e memorie dell'Accademia Patavina», 1975-76, pp. 35-42. Hic de 'apophthegmate incipitario', quod in primo epodi versu invenitur, disseritur.

³ Inter eos omnes, qui de Vergilio egerunt, perpauci tantum, ne index longius perducatur, referuntur: Karl BÜCHNER, *Virgilio. Il poeta dei Romani*, Paideia, Brescia 1986², ad pp. 29-61; Concetto MARCHESI, *Storia della letteratura latina*, vol. I, Casa Editrice Giuseppe Principato, Milano-Messina 1968, ad pp. 388-397; Augusto ROSTAGNI, *Storia della letteratura latina*, vol. II, UTET, Torino 1983, ad pp. 33-49; Ettore PARATORE, *Storia della letteratura Latina*, Sansoni, Firenze 1970, 10^a rist., ad pp. 361-376; Benedetto RIPOSATI, *Storia della letteratura Latina*, Dante Alighieri, Città di Castello 1985, ad pp. 324-326; Gian Franco GIANOTTI – Adriano PENNACINI, *Storie e forme della letteratura in Roma antica*, Loesher editore, Torino 1982, ad pp. 274-281; Michael von ALBRECHT, *Storia della letteratura latina da Livio Andronico a Boezio*, Einaudi, Torino 1996, pp 672-674.

des⁴ appellatur, haud a Mantua longe ortum; Cremonae, ubi xv exacto anno virilem togam induit, se ad grammaticorum praecepta applicasse; inde, Cremona relicta, Mediolanum contendisse; eundem insuper paulo post Mediolano cessisse Romamque⁵ petiisse, ubi se ad Elpidium rhetorem, tumidum eloquentiae praeceptorem, contulit; hic apud tantum magistrum vel Marco Antonio vel Octaviano puero esse familiaritate usum; paucos post annos Vergilium, rhetorum ampullis⁶ minime satiatum, Neapolim ad beatos philosophiae portus⁷ confugisse, ubi Sironem, doctum et honestum virum, audivit; apud illam Epicuri sectam iuvenem Mantuanum cum Plotio Tucce et Vario Rufo coniunctissime et amantissime vixisse; admodum iuvenem, in Maecenatis aedibus acceptum, ab a. XLIII ad a. XXXIX *Bucolica* composuisse et in vulgus haud multo post edidisse; eundem praeterea Q. Horatium Flaccum, quocum erat summa familiaritate coniunctus, ad Maecenatem deduxisse; inter otium Neapolitanum Vergilium ab a. XXXVII ad a. XXX *Georgica* conscripsisse et insequenti anno foras dedisse; ab a. XXIX usque ad extremum vitae diem praeclarum poetam ad Aeneida conscribendam animum intendisse et a. d. x Kal. Oct. a. XIX a. Chr. n. vita cessisse.

Quibus breviter summatimque prolatis, nihil prorsus de praeclari poetae Mantuani doctrina, nihil de eruditione, nihil de operibus, nihil de libris, nihil praesertim de viris, ex quibus haud paucas, easdemque paecipuas, notitias deprompserit, comperitur. Quae legenti Vergilius vel in turri eburnea reclusus vel in felici horto reconditus vel ab hominum convictu atque societate seiunctus vitam degisse solivagus videtur. Nullum est dubium, quin Vergilius, haud secus ac omnes fere aequales, qui eadem fruerentur condicione, praeter cultum atque humanitatem, vitam modo beatam modo miseram, modo communem modo umbratilem egerit. Ideo philologus cogitet ac doceat oportet Vergilium quoque, ceterorum hominum mores et exempla secutum, ad corpus roborandum palaestram frequentasse, in foro volitasse, cum iuvenum coetu fuisse, spectaculum ingressum, ad mercatum profectum, Veneris stimulis flagravisse eiusque voluptatibus indulgisse, sollicitudinum esse aculeis perturbatum; Vergilium quoque, haud secus ac Terentium,⁸ hominem

⁴ Quo in loco sit Vergilius natus, fusius agitur apud opusculum Horati Antoni BOLOGNA, *Ubinam sit P. Vergilius Maro natus*, in *Studia Latinitati provehendae. Acta conventus nationum*, Robertus SPATARO curavit, LAS, Roma 2015, ad pp. 91-105.

⁵ Innumeri iuvenes, honesto loco nati, provincias reliquerunt et Romam sunt a parentibus ea missi spe fore, ut idoneis ac necessariis studiis confectis, rem publicam adgrederentur. In quibus fuit G. Valerius Catullus quoque, Cornelius Nepos, P. Ovidius Naso, Titus Livius et omnes fere νεώτεροι, id est *poetae novi*. Sed omnes praeter M. Tullium Ciceronem, qui supremos magistratum gradibus ascendit, litteras quam rem publicam attingere maluerunt. Donatus enim, de Vergili vita agens, haec scribit: “*Egit et causam apud iudices, unam omnino nec amplius quam semel*”.

⁶ VERG., *Catal.*, 5, 1.

⁷ *Ibidem*, 8.

⁸ TER., *Heat.*, I, 1, 25.

fuisse et humani nihil a se umquam alienum putasse; praeter magistros vel potius una cum magistris, quos profecto plurimi ducebat, adulescentem Mantuanum, cum animum vastum, legendi atque audiendi cupiditate captum, satiare conaretur, cum aliis doctis colloqui non recusasse.

Philologus autem atque inquisitor, si haec singillatim et illa omnia, quae ad cottidianam et communem Vergilii vitam pertinent, acrioribus vestigent ingeniis, multa profecto inveniant ac praecipua detegant, quae plerumque doctos quoque viros latent. Nullum est dubium, quin Vergilius, cum Musarum sit oblectamentis captus, eodem quidem tempore, quo in philosophos animum intendebat, in praeclaros quoque auctores cum Latinos tum maxime Graecos mentem verterit. In quibus, ut ex operibus comperitur, Henni, Lucretius, Catullus et poetae novi inter Latinos, inter Graecos contra Hesiodus, Homerus, Callimachus, Theocritus, poetae lyrici et tragoediarum auctores potissimum obtinuerunt locum. Hic vero nullus doctus vir praeterire potest, quin antiqua illa carmina, quae de rebus et Troianis et Thebanis fusius agebant, memoret et quantum ad Aeneida conscribendam Vergilium iuverint, detegat ac doceat.⁹

Cum autem Vergili opera fusius ipsi luculentiusque enodentur, quanto auxilio Henni¹⁰ et Apollonius Rhodius¹¹ fuerit poetae, quam saepe Euripidis fabulae, occasione data, huc sint illuc adhibitae, neminem fugit. Quos praeclarorum Romanorum poeta vel Graecos vel Romanos sequatur auctores eisdemque mira cum calliditate imitetur, nullus sanus est vir, qui miretur et magnis laudibus eundem afficiat. Ceterum quo maior est poetarum antiquorum numerus, eo doctior et callidior putatur poeta, qui, cum in hominum societate a diversis gentibus constituta vitam degeret, alios profecto doctissimos et eruditissimos viros, lingua Graeca loquentes, audivit eorumque doctrinam magni existimavit eaque insuper volutavit spe fore, ut externarum quoque gentium disciplina esset sibi aliquando profutura. Nam haud raro fit, ut philologus, singulari Romanorum Graecorumque doctrina imbutus, non dubitet, quin ceterarum quoque gentium mores, leges et instituta spernant, quorum litteras, cum opinionis errore falsa fingat ipse, ne flocci quidem faciat et, in angustiis reclusus, illas nullum umquam nec Romanum nec Graecum doctum virum allexisse falso putet. Quibus detectis rebus et commerciis, nullus nullus doctus vir, nullus Romanarum Graecarumque litterarum interpres ac vestigator seu explanator Graecos et Romanos cum gentibus e-

⁹ Brook OTIS, *Vergil. A study in Civilized Poetry*, Clarendon Press, Oxford 1963; Bruno NARDI, *La giovinezza di Virgilio*, Mondovì, Mantova 1927; Jan-Paul BRISSON, *Virgile. Son temps et le nôtre*, François Maspero, Paris 1966; Ezio CETRANGOLO, *La poesia di Virgilio*, Urbino, 1973; Antonio LA PENNA, *Virgilio e la crisi del mondo antico*, in *Virgilio. Tutte le opere*, tr. di Ezio CERANGOLO, Sansoni, Firenze 1969.

¹⁰ Eduard NORDEN, *Ennius und Vergilius*, Teubner, Berlino-Lipsia 1915.

¹¹ Friedrich MEHMEL, *Vergil und Apollonius Rhodius*, Hansischer Gildenverlag, Amburgo 1940.

xternis nullum commercium habuisse amplius putat, quia Mediterraneum Mare illis temporibus mercaturae causa innumerae gentes, in quibus Hebraei potissimum obtinuerunt locum, longe lateque peragrabant.

2. Quae gentes Romam et in maximas Italiae inferioris civitates venerint

Neapolis et Roma una cum multis aliis inferioris Italiae civitatibus, quas hic silentio praeterire contingit, Vergili aetate, maximae fuerunt urbes, in quas magnus captivorum est numerus ductus et haud pauci viri liberi ad commodiorem vitam agendam vel ex Africa vel ex orientis regionibus contendebant. Quibus in civitatibus, quas advenae et mercatores quadam cum facilitate attingere poterant, et rerum venalium et captivorum fora sunt maxime celebrata.

Ceterum Neapolim, cum Graeca esset civitas et celeberrimo naviumque plenissimo portu ornata, innumeri contendebant advenae et mercatores, qui, maximis occupationibus distenti, ne maris pericula subirent, in tanta ac tam clara civitate domicilia collocabant et mercaturam faciebant. In ditissimam civitatem Syri, Aegyptii, Hebraei et innumeri alii populi celebres colonias deducebant.¹² Quae, uti constat, religionem, deorum cultus, mores, instituta, litteras et doctrinam secum ferebant, in alieno quoque solo patrum avorumque praecepta servabant liberisque tradebant. Unaquaeque gens, cum magnifica et sumptuosa exstruxisset templa et deorum cultus mira cum magnificentia constituisset, nullam praetermittebat occasionem, quin ad nova mysteria externas gentes allicerent et converterent. Quo fiebat, ut nullus praeteriret dies, quin vel Aegypti¹³ vel Syri vel alii advenae in civitatis viis in alicuius dei honorem sacra facerent et populi sumptuosa sacerdotum vestimenta, insigne dei simulacrum, multicolores virginum puerorumque choros, vocitantes fidelium pompas, asseclarum sacra et iusta mirabundi conspicerent. Neapolis, tempore procedente, et externarum religionum et alienigenarum cultuum erat domicilium et refugium facta, in qua omnes omnia quaerere et invenire possent. Qua quidem in civitate haud pauci fuerunt Hebraei,¹⁴ qui, patria relicta, celebrem et florentem coloniam condiderunt et ad

¹² Teodoro MOMMSEN, *Storia di Roma*, Gherardo Casini Editore, Milano 1988, ad vol. IV, ad pagg. 493-505.

¹³ ID.

, *op. cit.*, ad vol. III, ad pagg. 1064-1067; ad vol. IV, ad pag. 67.

¹⁴ Dante Caporali, *Gli Ebrei a Napoli*, in Achile Della Ragione, *Napoletanità. Arte miti e riti a Napoli*, CLEAN, Napoli 2012, ad vol. II, ad pag. 153 sq.; Emanuele SANTAMATO, *Gruppi immigrati e loro gestione a Roma tra II e I sec. a.C.*, ad doctoris gradum adiiscendum dissertatio, habita apud Studiorum Universiatem Neapolitanam “Federico II” a. academico MMVI-MMVII, ad pagg. 226 et sqq. In eadem dissertatione praecipuae inveniuntur notitiae de Hebraeis Romanis ad paginas 238-275.

patrium cultum observandum, ad sollemnia explenda et ad avitam doctrinam tradendam, amplas et sumptuosas synagogas exstruxerunt, ubi doctissimi sacerdotes et magistri, sacris factis, divinas litteras fidelibus praesentibus et audientibus legebant, interpretabantur et idoneis exemplis et verbis explicabant.

Roma contra, cum nobilissima et amplissima esset urbs, totius orbis lumen merito appellabatur et magistra. Humillimis originibus orta, est tempore tam magna, tam potens, tam hominum et opum dives in dies facta, ut immensi imperii sit sede digna ducta. In eius moenibus summi fuerunt honores et potestas maxima. Quamvis corrupti et interdum parum honesti, patres, in quorum manibus erat Romanum imperium et Urbis nomen, summum rei publicae bonum semper elegerunt, domi bellique ingentes divitias congesserunt, commerciis faverunt, ad opera cum privata tum publica sunt captivis et servis usi, bellis et callida civitatis constituendae doctrina ac ratione fines imperii longe lateque ampliaverunt, ducum res gestae eisdem, quibus solis cursus, sunt regionibus ac terminis contentae. Nulla terrarum orbis civitas Roma nec maior fuit nec clarior.¹⁵

In tantam ac tam magnam civitatem, bellis confectis et populis subactis, ingentes divitias, deorum heroumque cultus et simulacra, bibliothecas et maximum captivorum servorumque numerum ad triumphos ornandos consules et duces contulerunt. Sed liberi quoque cives, ingenio praediti et optimis rebus instituti, occasione arrepta, ex orientis praesertim regionibus alii Appia via, mari nostro multi Romam contenderunt, ubi iuvenibus docendis atque instituendis, medicinae exercendae, disciplinae magicae profitendae, vineis colendis, mercaturae aleisque operam dabant. Ideo Romae quoque, haud secus ac in aliis inferioris Italiae civitatibus, Aegyptii, Syri et Hebraei maxime tam multi fuerunt, ut potentes et celebres colonias constituerint. In omnibus advenis, qui cotidie Romam petebant, Hebraei, cum ditiores et commerciorum essent peritiores, praecipuum habuerunt locum. Nam ineunte II saec. a. Chr. n. conspicua Hebraeorum colonia, quae, tempore praetereunte, est frequentissima facta, Romam contendit,¹⁶ ubi synagogas exstruxit, Deum suum coluit, patrios mores servavit, avorum leges et instituta liberis

¹⁵ Aliquot post saeculis Rutilius Namatianus Romae laudes his merito canit verbis ad versus 63-66:

Fecisti pariam diversis gentibus uman:
 profuit invitis, te dominante, capi;
 dumque offers victis proprii consortia iuris,
 urbem fecisti, quod prius orbis erat.

¹⁶ Rita RIGHI, *Testimonianze a Roma sugli Ebrei dal II sec. a. C.*, inedita ad doctoris gradum adipiscendum dissertatio, habita a. MCMLXXI apud Studiorum Universitatem Aquilanam; Emanuele SANTAMATO, *cit.*: Giuseppe RICIOTTI, *Il Giudaismo a Roma*, in *Guida allo studio della civiltà romana antica*, diretta da Vincenzo USSANI e Francesco ARNALDI, Istituto Editoriale del Mezzogiorno, Napoli 1971, vol. I, ad pagg. 215-230; Saatiino MOSCATI, *Storia e civiltà dei Semiti*, Laterza, Bari 1949.

tradidit. Hebraei, uti constat, in solo quoque alieno et plerumque hostili occasionem arripere non dubitaverunt et brevi sunt tam potentes facti, ut apud se magnas divitias congesserint. Quorum liberti, patriis moribus et institutis servatis, apud nobilissimam quemque familiam vel ob ingenium vel ob commerciorum perititiam vel ob institutionem sunt semper plurimi ducti. Multi praeterea liberti, Hebraei praesertim origine, ad doctrinam et eruditionem ostendendam, in sumptuosissimis aedibus una cum bibliotheca Graeca et Latina tertiam quoque, in quam libros sacros collegebant, haud raro comparaverunt. Nam apud Petronium Trimalchio, eruditionem, qua praeditus erat, ostendens, his necopinato et fortuito utitur verbis: “*Et ne me putes studia fastiditum, tres bibliothecas habeo, unam Graecam, alteram Latinam*”.¹⁷ Sed callidus et rudis libertus nihil de tertia bibliotheca dicit, se oblitum simulat. Tertia bibliotheca plerumque Sacros Hebraeorum Libros custodire putatur,¹⁸ quia nullus alius populus, praeter Romanum et Graecum, tam multa librorum sacrorum litterarumque monumenta, quae, magna cum cura apud privatas quoque aedes servata, laus et gloria illius esset gentis.

Pompeius autem, cum Syriam subegisset et, Ierosolyma expugnata, Iudeam in Romanorum dicionem ac potestatem redigisset, praeter vicena centena servorum captivorumque milia in Italiam duxit. Quorum partem ad Urbis patres et optimates, pretio soluto, collocavit, ceteros in praecipuas inferioris Italiae devendi iussit. In Hebraeorum captivis una cum mercatoribus ii quoque fuerunt viri, qui, optimis rebus institutis, ius ac potestatem in multitudinem habuerant. Qui omnes, cum docti essent atque eruditi, sacros libros secum profecto duxerunt et in idoneum congesserunt locum.

Rebus funditus mutatis et libertate amissa, haud parvus Hebraeorum numerus, quos victor domi servaverat, patria relicta, in maximas et praeclaras imperii civitate migraverunt. Hic una cum Syris Hebraei, communibus moribus et instituti coniuncti, se in amplas et fidas consortiones congregaverunt. Ingenio ope numero fisi, alii negotia, alii fenerationem, navigationem alii magno cum emolumento susceperunt. Qui, maritimi cursores appellati, chartam papyraceam, vina exquisita, aromata rara et pretiosa textilia ex orientis regionibus in Italiae civitates vehebant. In omnes et maximas praesertim civitates congregati, Hebraei sensim intercessores sunt et argentarii et nautae facti, quorum auctoritas et gravitas incolarum vitam, artem, institutionem et religionis notionem moverint, novaverint, formaverint.

In omnibus Italiae civitatibus, ubi magna erat Hebraeorum multitudo, sacerdotes sacra faciebant et rabini praecipuos librorum sacrorum locos coram populo legebant, interpretabantur et explanabant; captivos et servos, quibus

¹⁷ PETR., 48,4.

¹⁸ Giuseppe Giovanni GAMBA, *Petronio Arbitro e i Cristiani*, LAS, Roma 1998, pp. 236-240. Sed non omnia, quae doctus vestigator exponit, aequa mente recipi potest; Edoardo RATTI, *L'età di Nerone e la storia di Roma nell'opera di Petronio*, Pàtron Editore, Bologna 1978, ad pag. 135 in adn. scribit: “La biblioteca sottintesa è la biblioeca ebraica”

Romani poenas et supplicia irrogabant, erigebant et hortabantur, ut firmo animo salutem sperarent et puerum redemptorem expectarent. Tam praecipuum nuntium haud pauci civitatum incolae profecto cognoverunt et aliquam spem gentiles quoque, quamvis Hebraeorum litteras et religionem ignorarent, alere inceperunt. Ideo nullum est dubium, quin sacerdotes et docti rabini quid esset antiquissimis temporibus per prophetas nuntiatum et revelatum non solum Hebraeis verum gentilibus quoque patefacere atque illustrarent.

Vergilius autem, qui in societate diverso hominum gentiumque genere composita vitam degebat, praeter Romanas et Graecas multas quoque orientis religiones et litteras contingit. Ceterum Catullus haud multos annos ante ex illis captus cultibus, qui Romam ex Asia pervenerant et peregrinis orgiarum fascinis haud parvam civium multitudinem alliciebant, Attin per mirum celebravit carmen.¹⁹ Nam Attidis fabulam, praeter Pindarum, iam poetae Alexandrini²⁰ cecinerant et recentioribus temporibus Caecilius, qui firma erat amicitia Catullo iunctus, per mirum et laudatum poematum Magnam Matrem cecinerat.²¹ Lucretius ille quoque se abstinere non potuit, quin eandem deam et alios externarum gentium memoraret cultus.²²

Huc accedit, quod Horatius, qui cum Vergilio coniunctissime et amantissime vivebat, uti constat et ex eius carminibus depromitur, est Hebraeus putandus.²³ Cum autem Horatius et Vergilius in aliquem locum vel in convivium convenirent, de quibus rebus collocuti sint, haud difficile dictu videtur.

Nam inter multa et varia argumenta, quibus horas et dies terebant, non est dubium quin Horatius in Hebraeorum litteras haud raro inciderit illiusque gentis salutis spem, quam ipse altera imbutus doctrina aliisque moribus institutus, specie saltem, recusavisset, semel atque iterum profecto memoraverit. Exeunte II saeculo a. Chr. n. innumeri orientalium gentium cultus Romam pervenerant ibique erant magno cum fervore accepti. Magnus reapse fuisset casus, si Vergilius unus illis quidem temporibus Hebraeorum Deum ignorasset ac litteras. Haud secus ac alii poetae Horatius quoque, occasione

¹⁹ CAT., LXIII.

²⁰ Paolo FEDELI, *Introduzione a Catullo*, Editori Laterza, Roma-Bari 1990, ad pagg. 113-114. S W COHEN, *Catullus 63: Attis the Dreamer*, in «Classical Bulletin» 54 (1978), ad pagg. 49-52.

²¹ CAT., XXXV, 17-18. Apud Ciceronem Magnae Matris cultus optissimum obtinet locum in oratione, quibus *De haruspicum responsis. Pro Sextio et Secundam orationem in Verrem*; eandem deam memorat in illis operibus, quibus *Cato maior et De legibus*.

²² LUCR., II, 598-660. Guido DELLA VALLE, *T. Lcrezio Caro e l'epicureismo in Campania*, Accademia Pontaniana, Napoli 1935; Franz CUMONT, *Le religioni orientali nel paganesimo romano*, Laterza, Bari, iterum ed. 1967; Maarten Jozef VERNASEREN, *Cybele and Attis: the Myth and the Cult*, Thames and Hudson, Londra, 1977.

²³ Otto SEEK, *Kaiser Augustus*, Velhagen & Klasing, Leipzig 1902, ad pag. 133; Guglielmo Dr. BRAUN, *La originaria nazionalità di Orazio*, in «Archeografo Triestino», Nuova Serie, vol. V, Trieste 1877-78, ad pagg. 47-83.

data, non solum Iudaeos,²⁴ verum etiam Osirim,²⁵ Aegyptiorum memorarare non dubitat deum.

Quibus summatim expositis, nullum esse doctum ac sanum puto virum, qui negare audeat Vergilium quoque, cum ceterarum nationum mores et insituta religiosa cognoscere cuperet, vel Romae vel Neapoli rabinum quendam vel de puero vel de virgine loquentem audivisse, notitias servasse easdemque, occasione data, una cum rebus Romanis et Graecis ad bucolicum carmen contexendum adhibuisse. Ideo Vergilius, mores Romanos secutus, qui omnes gentium subiectarum deos verebantur et instituta religiosa in unum²⁶ miscere conabantur, in bucolicam illam quod ad Romanam, Graecam et Hebraicam religionem pertinebat, congregare et copulare non dubitat.²⁷

Huc insuper accedit, quod sacri Hebraeorum libri, in linguam Graecam versi, cum Romae tum Neapoli vel in synagogis vel maxime in doctorum rabinorum et libertorum bibliothecis servabantur.

Ceterum Hebraeorum litterae, quas philologus classicus parvi vel nullius momenti facit nec ullum umquam pondus apud Romanos poetas habuisse ducit, Romae quoque gratiam urbanam sensim moverunt, redemptionis opinionem et servitutis liberationem in vulgus infunderunt, ut pauca post saecula potissimum habuerint locum.

Cum autem Vergilius iuvenis se ad philosophiae poetarumque studium conferret, res Romana bellis civilibus laniabatur, Italiae incolae praesertim timor occupabat, res ad ipsum temporis discrimen erat, ut nulla pacis spes, quamvis longinqua, occurreret. Ideo omnes, cum in maximum vitae discrimen ob temporum exitium versarentur, minimam quoque salutis spem quocumque ex loco, quacumque ex gente, quacumque denique ex condicione pervenisset, anxii et trepidantes exspectabant; sperabant insuper illam virginem, quam *Oracula Sibyllina* et Hebraeorum sacerdotes et rabini nuntiabant, quam primum filium edituram, qui hominum generi saluti esset et redemptioni.²⁸

Cum autem eadem temporis sit incommoda expertus et passus, nullum est impedimentum, quo minus Vergilius quoque salutis spem et novae aetatis initium cum virgini tum puero praesertim tribueret, tantosque eventus iam imminentes esse crederet.

²⁴ HOR., *Sat.*, I, IV, 143 et V, 100 et IX, 70.

²⁵ HOR., *Ep.*, I, XVII, 60; TIB., I, VII, 27.

²⁶ Giulio GIANNELLI, *Trattato di storia romana*, Pàtron, Bologna 1983, p. 447s.

²⁷ Jérôme CARCOPINO, *Virgile et le mystère de la IV églogue*, *Révue des études Grecques* 43 (1930), ad pagg. 459-460; G. JACHMANN, *L'Arcadia come paesaggio bucolico*, in «Maia» 1952.

²⁸ André BELLESORT, *Virgile et son temps*, Librairie Academique Ferrin, Paris 1920.

3. Quid ad IV eclogam scribendam Vergilium moverit

Senatus Romanus I saec. a. Chr. n., cum intellexeret innumeros deos orientales eorumque cultus per sedulos sacerdotes et assecclas, quorum numerus in dies crescebat, non solum in multis inferioris Italiae civitatibus, sed Romae maxime increbrescere et deos patrios eorumque templa excolescere, rei publicae religionem defendere eiusque integritatem posteritati est tradere conatus.

Sed tantum munus, cum laude dignum duceretur, perpauca post saecula, religione Christiana adveniente eiusque evangelio animos capiente, nihil est assecutum, quia frequentiora commercia cum Syris et Aegyptiis et Hebraeis faciebant, ut maior hominum numerus in orientis religionibus et cultibus, quae infirmiores mentes modo per orgia modo per arcana sacra alliciebant, aliquid novi et salutaris invenirent.²⁹

Nam bellis intestinis saevientibus, electi hominum spiritus renovationis lucem et futurorum honorum promissa quaerebant et, tam turpi et iniqua societate sprete, malorum hominum ultionem petebant, diuturnam pacem cupiebant, tranquillitatem sperabant. Quae omnia non avorum, sed externarum gentium dei tantum promittebant.³⁰ Quorum deorum cultuumque nuntii et vulgatores ipsi duces, dictatores fuerunt et consules: nam L. Cornelius Sulla primus et omnium longe acerrimus et fidelissimus gregarius fuit.

Iisdem quidem temporibus ad dissolutionem, quam in religionem atque instituta Romana ritus orientales movebant, innumerae sectae philosophicae adiungebantur, quae deos, cum falsae essent humani spiritus fictiones et in cogitatione tantum defixae, longinquos esse et ab humanis rebus omnino alienos eorumque cultus esse exteriores tantum actus ostendebant ac docebant.³¹

Ideo deos avitos, qui Romanis ad imperium constituendum atque adaugendum magno semper auxilio fuissent, a deis deabusque externis demoveri turpe et inhonestum sacerdotibus Romanis videbatur. Quam ob rem sacerdotum timor est bellis confirmatus, incendiis et stragibus, quae ab a. L. a. Chr. n. Romam, Italiam et imperium XX per annos vexaverunt, vastaverunt, incenderunt.

²⁹ P. BOYANCÉ, *La religion de Virgile*, Paris 1963.

³⁰ Alessandra ROLLE, *Il motivo del culto cibeleico nelle Eumenides di Varrone*, "Maia" 61 (2009), 545-563; ID., *Il fr. 191 B. delle Menippee di Varrone: una testimonianza tardo-repubblicana del culto di Iside a Roma?*, "Prometheus" 38 (2012), 133-144; *Ritmi frigi e sensibilità romana: un connubio impossibile?*, in I. BAGLIONI (a cura di), *Ascoltare gli Dèi / Divos Audire. Costruzione e Percezione della Dimensione Sonora nelle Religioni del Mediterraneo Antico*, Roma 2015, 153-161; ID., *Ego medicina Serapi utor. Les Ménippées de Varron et le culte de Sérapis dans la Rome tardo-républicaine*, in B. AMIRI (a cura di), *Religion sous contrôle. Pratiques et expériences religieuses de la marge?*, Presses Universitaires de Franche-Comté, Besançon 2016, 29-40.

³¹ LUCR., I, 62-101

Quibus malis saevientibus, nullus prorsus fuit civis, qui illa damna, cum populus se impium et ingratum erga deos se praeberet, meritam esse deorum ultionem negaret. Ideo omnes ad praeteritae aetatis tranquillitatem, deorum cultibus et sacris instauratis templisque reffectis, redire cupiebant. Quo factum est Augustus, bellis intestinis confectis et pace conciliata, sacerdotum civiumque vota sit explere conatus et morum mutationem facere instituerit. Ad tantam conversionem conficiendam poetas et viros optimis rebus imbutos auxilium flagitavit.

Quam quidem occasionem nacti, Vergilius quoque et Horatius Augusti vota et proposita, sed alter alterum in modum temporis labores, aerumnas et principis propositum interpretantes, satisfecerunt.³² Quamvis uterque in claro et amplo Maecenatis³³ sodalicio versaretur ibique plurimi duceretur, neuter tamen erga Augustum nec animo servili nec deformi fuit obsequio. Vergilius insuper magis quam Horatius nullam praetermisit occasionem, quin in principem acris et inclemens esset iudex. Nam per IV eclogam, principis proposito neglecto ac deluso, religionem Romanam, in quam alterius gentis spem et exspectionem callidus et prudens incredibilem et necopinatum in modum immittit, nec renovat nec tuetur. Ceterum Vergilius, cum Epicurea sit imbutus doctrina, haud secus ac Horatius, nullum deum esse credebat. Quod nec Augustum nec Maecenatem latebat.

Hic vero Horatii carmine seposito, ad IV Vergilii eclogam mentem et animum vertere contingit, ut quaedam arcana illa, una cum fontibus et auctoribus adhibitis multa et acria sit philologorum ingenia periclitata, altero quodam modo detegantur.

Quam quidem per eclogam Vergilius hominum genus, malis artibus et avaritia in sordes et in vastitatem ductum, per pueri adventum funditus renovare docet. Ad tantum propositum perficiendum, poeta Mantuanus Romanorum sermonem illis obumbrat et ditat proprietatibus, quae vel ad apocalypsis vel ad messiae pertinet genus. Nam illis calamitatum temporibus omnes Italiae et imperii incolae rei publicae vindicem invocabant et exspectabant, quoniam haud pauci orientis Hebraeorumque sacerdotes et rabini puerum esse nasciturum et, hominum sceleribus deletis flagitiisque vindicatis, pacem et tranquillitatem omnibus gentibus laturum praedicabant. Quando vero et quo esset loco a virgine pariturus omnes, praeter Hebraeos, ignorabant, sed eundem venturum esse sentiebant. Rumor interea in vulgus serpebat, in dies increbrescebat, animos alliciebat tantamque salutis spem alebat, ut Vergilius,

³² Werner ECK, *Augusto e il suo tempo*, Il Mulino, Bolona 2000; Augusto FRASCHETTI, *Roma e il principe*, Laterza, Bari 1990; Decio Cinti, *Augusto*, Sonzogno, Milano 1936; Arnold Hug Martin JONES, *Augusto. Vita di un imperatore*, Editori Laterza, Roma-Bari, 1983, ad pagg. 185-195.

³³ Riccardo AVALLONE, *Mecenate*, Libreria Scientifica Editrice, Napoli 1962, ad pagg. 169-218.

cum nullam fidem Hebraeis tribueret, callidus tamen et acer illius eventus, quem homines exspectabant, sit unus et rarus interpret factus.

Ceterum puer, qui per IV eclogam celebratur cuiusque adventus quam qui maxime salutifer ducitur, quamvis linguae gravitas, argumentum et consilium Romana videantur, minime Romanus est habendus. Nam temporibus illis, quibus IV ecloga conficiebatur, Italorum animos tristes *Belli Perusini* casus contristabant. Vergilius autem illis imbutus disciplinis, quas philosophorum sectae docebant nullam umquam fidem nec incertis populi sermonibus nec sacerdotum vocibus nec orientalibus fabulis ac ritibus aut Hebraeorum rabinis tribuit.³⁴ Sed tristibus *Belli Perusini* calamitatibus saevientibus, pueri notitia illectus et fascinatus, imminentem eius adventum mirum cecinit in modum. Sed, quamvis Romani scribendi genus nec non pulcherrimas Arcadiae servet imagines, mutatis mutandis, Vergilius est messiae propheta quodam modo putandus: ipse enim compertum habet et canit puerum, qui novam et pacificam hominibus donet aetatem esse venturum; eundem insuper, quamvis divina sit vi et virtute praeditus, ad rerum naturam renovandam efficacem non esse, sed ipsam rerum naturam, puero praesente et crescente, sensim se funditusque renovare cepturam.

Cum autem Vergilius antiqua oracula cognosceret et prophetas vel orientales vel Hebraicos praesertim audiret vel legeret, scribendi tamen genus nec movet nec mutat. Musarum afflante spiritu, cum mente Saturnia regna fingat, illam felicem et serenam canit aetatem, qua Deus primos homines in paradiso posuit et eadem aetas, quae exspectabatur, puero nato, redibit.

Quis reapse esset puer, fortasse Vergilius ipse ignorabat. Ineunte enim I saec. p.Ch.r.n., perpaucos annos post quam Vergilius mortuus erat, haud pauci secum quaerebant, utrum puer esset Asinius Gallus, ut ipse gloriabatur,³⁵ an Saloninus, uterque Pollionis filius, propterea quod paulo ante hic, ille paulo post editus est annum, quo est *Pax Brundisina* composita. Quae pax, uti constat, est a. XL a.Ch.r.n. facta.

Duobus elapsis saculis, L. Caecilius Firmianus Lactantius primus, ut videtur, Vergilium per IV eclogam Christum esse venturum nuntiavisse docet³⁶ et a. CCCXXIII p.Ch.r.n. imperator Constantinus inter *Orationem ad coetum sanctorum* Vergilium Christi praenuntium fuisse affirmare non dubitat.³⁷

Inter illam aetatem, media quae dicitur, nullus prorsus fuit doctus, qui Vergilium Christi adventum cecinisse sit negare ausus. Sed litteris renatis,

³⁴ De Hebraeorum adventu in Italiam antiquis illis temporibus quaedam et utilis huc illuc in his inveniuntur libri: *Jewish Encyclopedia*, Funk and Wagnalls, New York, 1901-1906; Chaim POTOK, *Storia degli ebrei*, Garzanti, Milano 2003; Sofia BOESCH GAIANO-Michele LUZZATI, *Gli ebrei in Italia*, Il Mulino, Bologna 1983.

³⁵ SERV. auct. *Ad IV ecl.*, 11: "Quidam Saloninum Pollionis filium accipiunt, alii Asinum Gallum, fratrem Salonini, qui primus natus est Pollione consule designato. Asconius Pedianus a Gallo audisse se refert hanc eclogam in honorem eius factam".

³⁶ LACT., *Inst.*, VII 24.

³⁷ EUS., I, ad pp. 149-192 HEIKEL.

unus Christophorus Landinus, cum eclogam illam enodet, patrum Ecclesiae sententias³⁸ refert, sed illam respuit interpretationem, quae ad imaginem vel ad figuram pertinet. Ceteri docti viri concordantes et unanimi illam eclogam Christi adventum nuntiavisse precise negaverunt et quid de re sentirent idoneis roboraverunt argumentis. Quorum doctrinam, praeter Salvatorem De Lorenzo, qui Ioanne Pascoli magistro ac duce, per doctam et luculentam dissertationem, a. MCM I apud Studiorum Universitatem Messanensem habitam,³⁹ IV eclogam ad Christianam interpretationem vindicavit, nullus alius doctus unquam refellit.

4. Quibus ex libris virginem et puerum Vergilius acceperit

Cum doctus quidam vir aut philologus, operibus cursim etiam inspectis, in Vergilium incumbat eiusque memoret opera, non est dubium, quin mente fingat, quam ampla fuerit poeta doctrina atque eruditio; quam multos libros modo Latinos modo Graecos, institutoribus faventibus, legerit et memoriae mandaverit; quos doctos haud invitus audiverit eorumque sententias et opiniones acceperit et consideraverit; quibuscum doctis viris modo Syris modo Hebraeis modo Aegyptiis collocutus sit; quibuscum denique sacerdotibus commercium habuerit. Sed, IV ecloga perlecta, neminem fortasse fugit praeclarum poetam Mantuanum cum *Oracula Sibyllina* tum nonnullos prophetarum Hebraeorum maxime libros legisse et nonnullis esse vaticiniis captum. Nam illorum auctores, cum hominum nequitiam considerent, deos auream quam primum reducturos aetatem sperant et canunt; horum contra scriptores et prophetae, cum videant quam multa crimina in Deum praesertim hominum genus patret, Dei voluntatis interpretes facti, omnes ad poenitentiam hortantur et ulla sine intermissione spem redemptionis praedicant et alunt. Ceterum Deus ipse per prophetas puerum, qui, ex virgine natus, generis humani salvator esset et redemptor.

Vergilius autem, cum iniquum patriae tempus⁴⁰ cernat bellumque intestinum stragibus et calamitatibus saeviat, simulans se Augusti propositis favere, per difficile et paene perplexum carmen expectatam hominum salutem et renovationem praenuntiat. Carmen vero, quod ad poeticam artem pertinet, potissimum ac praestantissimum est opus ducendum.⁴¹ Carmen denique dif-

³⁸ Stephen BENKO, *Vergil's fourth Eclogue in christian interpretation*, apud ANRW (Aufstieg und Niedergang der Römischen Welt) 31, 1, Berlin 1980, ad pp. 669 ssq. Doctus auctor, temporis ordine servato, subtilem et diligentem omnium auctorum refert indicem, qui, Christianam doctrinam secuti, sunt IV eclogam interpretati.

³⁹ Salvatore DE LORENZO, *L'ipotesi messianica nella IV ecloga di Vergilio*, Vincenzo Muglia Editore, Messina 1903.

⁴⁰ LUCR., I, 41. Vergilius haud raro Lucretium sequitur, cuius pondus et gravitatem huc illic memorat et proponit.

⁴¹ Karl BÜCHNER, *op. cit.*, ad pagg. 236-246.

ficilius et perplexius fit, nisi interpres ad messiae genus huc, illuc ad apocalypsis sermonem mentem parumper vertat. Quae quidem scribendi genera illis aerumnarum temporibus, una cum imminente salutis spe praeter *Oracula Sibyllina* innumeri poetae apud Romanos adhibuerunt.

Hic vero ad IV bucolicam mens vertatur et pauci tantum versus explanentur oportet. Poeta enim, ut carmen elegantius evadat et dignum sit, quod bucolicum appelletur, ad amplissimum quendam virum ornandum et celebrandum idoneum, Sicelides Musas⁴² invocat. Quibus adiuvantibus cum silvae tum myricae, carminis bucolici argumentum et materia, consule quoque dignae fiunt. Quae quidem elementa sollemne faciunt carmen, idemque ditant et amplificant. Quibus concitate et properanter expositis, Vergilius apocalypsis genus adhibens, necopinato fit vates et quodam cum animi ardore, quid sit brevi venturum, nuntiat: ferream aetatem, quae terra luctibus implet, Sybilla teste, quam primum esse ad finem venturam et homines, omnibus malis deletis, ab integro in novum saeculorum ordinem ingressuros.

Nam divino numine favente, Vergilius duobus imaginibus, per virginem et Saturnia regna, temporum felicitatem exprimit et nova progenies, quae, ex virgine nata, ferreae aetati finem faciet, de caelo descendit. Novae autem aetatis signum et initium est virgo, quae filium pariet ac nova progenies, cum sit nullo homine interveniente nata, est necessario de caelo missa. Puer, ut tantum munus perficere possit, ex virgine, cum nulla sit tabe foedata, nascatur oportet. Antiquitus enim est plerumque putatum virginem ope divina puerum genituram, qui operibus suis pacem, concordiam et tranquillitatem restauret.

Quem cum concipiat et exaret locum, Vergilius, Hebraeorum litteris captus et allectus, magna cum calliditate in Romanam poesin, quod ex Isaia et aliis acceperat prophetis, infundit. Ceterum apud Hebraeorum litteras virginis partum esse renovationis vel signum vel initium scriptum invenitur: Isaias enim his verbis novae aetatis principium canit: ... δώσει κύριος αὐτὸς ὑμῖν σημεῖον ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἔξει καὶ τέξεται υἱὸν καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουηλ.⁴³ Emmanuel est nova progenies, quae de caelo demittitur. Ideo antiquus Hebraeorum propheta, cum Dei filium nuntiet et spem in animis rebus adversis contristatis alat, canere non dubitat: εὐφρανθήτω ὁ οὐρανὸς ἄνωθεν καὶ αἱ νεφέλαι ῥανάτωσαν δικαιοσύνην ἀνατειλάτω ἡ γῆ ἔλεος καὶ δικαιοσύνην ἀνατειλάτω ἅμα ἐγὼ εἶμι κύριος ὁ κτίσας σε.⁴⁴

Vergilius autem, cum Romanus sit, novam progeniem Emmanuel appellare non potest; quam ob rem illis utitur argumentis et elementis, quae Romanis

⁴² VERG., *Ecl.*, IV, 1.

⁴³ Is. 7,14. Haec prophetae verba apud Vulgata leguntur: ... *dabit Dominus ipse vobis signum ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitis nomen eius Emmanuel*

⁴⁴ Is. 45,8 quem locum Vulgata his reddit verbis: *rorate caeli desuper et nubes pluant iustum aperiatur terra et germinet salvatorem et iustitia oriatur simul ego Dominus creavi eum.*

nota erant, et puerum, qui venturus est, Pollionis filium esse putat et vulgat. Hic tamen quaerendum est, utrum puer reapse Pollionis sit filius an per consulis Romani prolem sit alter multoque maior puer quaerendus. Si tantam spem in illius consulis prole posuisset, Vergilius alterum scribendi modum profecto adhibuisset; sed consilio puerum incertum esse voluit.

Ceterum vel apocalypsis vel messiae sermo semper est incertus et interdum ita involutus et reconditus, ut vates insanire videretur et hariolari. Vergilius quoque illum tam callide adhibet sermonem, ut vates ipse merito appellari possit. Quod quidem carmen, ab aliis tam differens ideoque multo difficiliter atque obscurius, ostendit quomodo Vergilius sit cum Hebraeorum litteris tum *Oraculis Sibyllinis* imbutus. Nam puero nato, immo ipso duce, nec armenta feros amplius metuent leones, nec serpens aut herba, veneno tandem amisso, nocebit. Qui cum venerit, redeunt pax et iustitia, concordia est maxima, omnes idem sentiunt, ut nullum amplius discrimen homines dividat et nulla occurrat simultas vel erumpat. Quae cum scriberet, ea Vergilius memoria profecto tenebat, quae apud Isaiam fortasse legisset vel potius ex docto quodam Hebraeorum audisset magistro.

Isaias enim, puero de caelo misso, in quo spiritus Domini sedem suam ponit, renovatam aetatem his canit verbis: καὶ συμβοσκηθήσεται λύκος μετὰ ἀρνός καὶ πάρδαλις συναναπαύσεται ἐρίφῳ καὶ μοσχάριον καὶ ταῦρος καὶ λέων ἅμα βοσκηθήσονται καὶ παιδίον μικρὸν ἄξει αὐτούς. Καὶ βοῦς καὶ ἄρκος ἅμα βοσκηθήσονται καὶ ἅμα τὰ παιδιά αὐτῶν ἔσονται καὶ λέων καὶ βοῦς ἅμα φάγονται ἄχυρα. Καὶ παιδίον νήπιον ἐπὶ τρώγλην ἀσπίδων καὶ ἐπὶ κοίτην ἐκγόνων ἀσπίδων τὴν χεῖρα ἐπιβαλεῖ.⁴⁵

Ne longior locorum sit index, quibus ostendi possit quantum auctoritatis et gratiae Hebraeorum litterae ad hanc eclogam contexamendam habuerint, ad *Oracula Sibyllina* animum parumper vertere contingit.⁴⁶ Quorum quoque carminum auctores, aerumnis increbrescentibus et bellis saevientibus, malorum omnium finem et extinctionem praesenserunt et iisdem fere verbis renovatam cecinerunt aetatem. Hic vero, ne longius sermo ducaur, unus tantum, et is praecipuus, refertur locus:

εὐφράνθητι, χόρη, καὶ ἀγάλλεο· σοὶ γὰρ ἔδωξεν
εὐφροσύνην αἰῶνος, ὃς οὐρανὸν ἔκτισε καὶ γῆν
ἐν σοὶ δ'οικήσει· σοὶ δ'ἔσσεται ἀθάνατον φῶς.
ἐν δὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ἐν οὖρεσιν ἄμμιγ' ἔδονται
χόρτον, παρδαλιές τ' ἐρίφοις ἅμα βοσκήσονται·

⁴⁵ Is 11, 6-8 qui locus est per Vulgatam redditus: *habitabit lupus cum agno et pardus cum hedo accubabit vitulus et leo et ovis simul morabuntur et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur simul requiescent catuli eorum et leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis et in caverna reguli qui ablactatus fuerit manum suam mittet.*

⁴⁶ Thomas BAIER, *Virgilio e l'oriente*, in «Aevum Antiquum» N. S. 10 (2010), pp. 39-53.

ἄρκτοι σὺν μόσχοις νομάδες ἀλίσθησονται·
σαρκοβόρος τε λέων ἄχυρον φάγεται ἐπὶ φάτνης,
ὥς βοῦς· καὶ παῖδες μάλα νήπιοι ἐν δεσμοῖσιν
ἄξουσι· πηρὸν γὰρ ἐπὶ χθονὶ θῆρα ποιήσει.
καὶ βρεφέσιν δράκοντες ἅμα σφίσι κοιμήσονται,
κούκ ἀδικήσουσι· χεῖρ γὰρ θειοῦ ἔσσειτ' ἔπ' αὐτούς.⁴⁷

Cum autem in locum quaedam consideratio intendatur, non est dubium, quin Vergilius una cum Hebraeorum libris ante oculos quosdam quoque *Oraculorum Sibyllinorum* locos habuerit et sit illis imaginibus usus, quae ad eclogam contexendam maxime viderentur idoneae. Sed nullus est doctus vir vel philologus, quem fugiat quantum inter Isaiam et *Oracula Sibyllina* intersit: ille enim παρθένος, χόρη haec haud fortuito adhibent.

Ideo compluribus rebus et argumentis omissis, haec tantum notentur oportet: apud unum Isaiam puer, qui venturus est, de caelo descendit et formidine terras solvit; fraudis vestigia delet; unus ille puer, cum Dei filius sit et ipse Deus, homines funditus renovat. Quam restitutionem cum Vergilius tum Isaia nonnulla per ἀδύνατα, quam quae maxime valentia, exponit: lupus fit mitis, mansuetus leo; serpens exstinguitur et venenata herba temporis puncto excidit. Quo puero nato, illud πλήρωμα τοῦ χρόνου in universis terris instauratur et hominum genus, felicitatis tempora expertum, illa sensim patrant crimina, quae iterum homines ad exitium ducunt.

⁴⁷ *Χρησιμοὶ Σιβυλλιακοί - Oracula Sibyllina*, curante Charles Alexandre, apud Firmin Didot Frates, Parisiis MDCCCLXI, volumen prius, III, 784-794. Qui versus ita sunt Latine redditi:

*Gesti, laeta puella: tibi nam gaudia nunquam
interitura dedit coeli terraeque creator.
hujus eris sedes: tibi lux aeterna micabit.
ergo lupis mixti salient in montibus agni,
et grege confuso tigres pascentur et haedi;
cum vitulis ursi degent, armenta sequentes;
carnivorusque leo praesepia lambet, uti bos,
infantis manibus teneris in vincula missus;
quippe feras infans humiles reptare jubebit:
cum pueris somnos capient de nocte dracones,
nec laedent; divina teget nam dextera natos.*